DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ-quartâ Januarii anni M. DCC. XXXIV.

M. LUDOVICO-MARIA POUSSE, Doctore Medico, Præside.

An à solis relaxantibus Nephritidis tuta Curatio?

I.

NEPHRITIDEM pro symptomatum sævitie gravissimum dixeris morbum; huic ad aliquot horas ferendo videtur ægrotans impar, mortemque uti summam mali medelam efflagitat. Mox remittente dolore, sui factus compos, viriumque integer ac præteriti immemor, hilaris, sanusque astantibus apparet : donec recrudescente malo, rursùs clamores edat &. planctus. A cæteris infimi ventris morbis dignoscere Nephritidem Tyronibus arduum. Hepatiti utpote choleræmorbo, cæterisque infimi ventris affectibus, symptomatis signisque primo intuitu communibus stipatam. Hanc à choleramorbo diversam dignosces, quòd in hâc, præter dolores & vomitum, diarrhœa biliosa frequens & copiosa, sitis inexpleta, pulsus parvus, virium insignis subitaque, ob fluidi colliquationem, exhaustio, tanquam signum pathognomonicum comitentur. Ab hepatite, quòd in hâc dolor in hypochondrio dextro, maximè ubi hepatis pars extima phlogosi tentatur, ad tactum exasperetur, febris intensa pulsusque durus ac renitens, urinæ lateritiæ, alvi fœces cineritiæ, dolorisque ac aliorum symptomatum, nisi post adhibita remedia, sanguinis maximè celebratam missionem, nulla aut pauca remissio. Ab intestinorum seu genuino dolore colico, quòd in hoc, si quæ sit abdominis tensio, ad levem tactum exasperetur dolor ; mox alvus laxata, sive flatus, sive fœces, sive humores mittendo, nativam molem atque mollitiem recuperat : quòd in colico dolore, pulsus parvus ac frequens insignisque, invitâ symptomatum remissione, perseveret virium jactura. Ab iliacâ passione, quòd in hâc nullas per secessum alvus fœces mittat quas per vomitum ejicit. Ab Enterocele quòd in alterutro inguine mollis & exilis adsit tumor. Nephritidem ideò à cæteris colicis affectibus diversam agnosces pro dolore acuto alterutrum nec raro utrumque renem (undè dolor Lumba-

ris quem cingulum vocant) clavi instar tenaciùs obsidenti, vomitu sæpiùs inani, infimi ventris nonnunquam tensione, urinæ paucitate & meïendi desiderio stipatam.

I I.

SYMPTOMATUM Nephtitidis multiplex, sed non diversa causa. Renum scilicet, aut ureterum, etsi rarò, phlogosis. Quæ à solâ sanguinis stagnatione oritur, genuina Nephritis. Sanguinis stato, aut retardato motu, vasa dilatari necessum est, renumque intumescere substantiam, unde papillarum calicumque, ac pelvis subjectæ compressio, strangulatio, ac velut obliteratio; hinc urinæ secernendæ occlusa via, quæ Renum molis adaugendæ altera est occasio, novaque causa; major hinc nervorum jam à salibus urinæ lacessitorum distensio; undè dolor acutus, & pro horum cum ventriculi nervis consortio, vomitutitio frequens ac sæpè inanis vomitus. Lotio immersæ rigidiores moleculæ ad papillas detrusæ, ob figuram aut molem vasorum diametro majorem, in his aut vasorum extremis incuneatæ, urinæ prohibendo stillicidium, Renum phlogosin, cæteraque genuinæ Nephritidis invehunt symptomata. Viscidæ sero innantes particulæ, ob flexilitatem, pro vasorum renalium, papillarum imprimìs angustiâ, in floccos aut glomeres intortæ, papillas obturando, urinæ præcludunt aditum; undè non solùm renis glandularum increscit moles, quæ sanguinis sistat motum, sed & pro salium stagnantis urinæ aculeis nervos stimulando, tùm doloris acuti, tùm vomitûs immanis movet symptomata; materia purulenta sæpiùs à partibus longinquis ignotisque cum sanguine in renes advecta, pro crassiori consistentiâ, tubulis renalibus, papillis aut pelvi velut impacta, pro symptomatum analogiâ Nephritin mentitur, quæ tamen symptomata à solâ partium constrictione. sobolescunt.

I I I.

LIQUIDORUM æquè ac in his innatantium, pro rigidiori aut laxiori fibrarum elatere, sistitur motus. Ubi ob fibrarum laxitatem, sensim sine sensu vasa intumescunt, phlogoseos signa nec symptomata prodeunt, donec dilatatis nimiùm vasis, ad partem appellenti sanguini præcludatur aditus. Ubi fibrarum tensus nimis est & rigidus Elater, sanguinis imminuitur tandemque sistitur motus, eâ proportione quâ fibrarum motricum motûs imminuitur quantitas: quò enim oscillatio minor, eò vis minor & actio, unde liquidum agitur potiùs quam movetur aut truditur, unde imminuto progressionis motu, variis quibus coalescit moleculis sibi invicem adhærendi sesèque intricandi datur locus, unde innumeræ exurgunt moleculæ, concretionis, mox in minoris diametri vasis, deinceps in majoribus, authores & causæ. Pro fibrarum adaucto rigiditatis gradu, citiores oscillationes, solidorum crispaturam & liquidorum concretionem adaugent, unde ocyùs phlogoseos atque doloris signa & symptomata prodeunt. In Nephritide, statim ineunte morbo, acutus dolor, frequens ac immanis vomitus fibras tum nerveas, tum vasculares tensas nimis, crispatasque plus æquo declarant, quorum symptomatum viget ferocia, donec laxiorem obtinuerint tonum; diutiùs perseverante phlogosi, accidunt sanguinis nonnunquam, & deinceps puris mictio, aut propter adunatas sibi calculorum diversæ figuræ moleculas, lithiasis rudimenta & ortus. Tam gravium symptomatum ferociam tutò retundere eamque præcavere, nisi à solis relaxantibus, frustrà tentaveris.

I V.

CORRUGATAS relaxare partes idem ac ad nativum tonum reducere, eas ulteriùs relaxare, resolvere est, unde partium atonia & paralysis. Nervorum cris-

patura spasmum inducit, qui dum partes tensas nimis rigidasque tenet, sanguini ad eas appellenti denegat aditum, unde partis vicinæ nascitur Phlogosis. Nephritidem à sanguine in vasis stagnanti, oriri dolor satis superque probat. Num à redundanti, num ob concretionem in minoribus vasis stato, non æque, nisi ex plethorâ universali, tum ex pulsu pleno, duro & renitenti, atque coloratiori facie, & totius corporis graviori mole potest dijudicari. Utrique causæ idem convenit remedium, sanguinis missio, quam præ cæteris relaxantibus, tutiorem citioremque ferre opem apud practicos quotidianâ constat observatione. Non solùm in relaxandis partibus à sanguinis systasi corrugatis conducit sanguinis missio, nervorum, seu à sanguiferis vasis nimium dilatatis (unde nerveorum staminum succussus) seu à molecularum liquidis innatantium aculeis, illatum solvit, aut saltem imminuit spasmum, imò sæpius sola ad lypothimiam celebrata, nisi calculi fuerit grandior moles, integram absolvit curationem & aliis, si fuerit opus, relaxantibus facilem tutamque viam sternit & parat. Nihil igitur mirum quod absque præviâ sanguinis missione Nephritidis instituta curatio aleæ plena sit & crudelius protracta. Quæ solâ sanguinis missione non solvitur nephritis, alia relaxantia uti auxiliatrices manus requirit, inter quæ imprimis seligenda quæ salibus solvendis, diluendæ viscidæ colluviei, corrugatis partibus emolliendis, à partium nimiâ diutumiorique constrictione orto dolori sedando idonea comprobaverit usus. Aquæ tepidæ sit largior potus, tum quod sales solvat, partesque rigidas emolliat, sed & vomitum molestum minùs efficiat, aliàs inani ventriculo immanem. Decoctum pulli seminibus quatuor frigidis majoribus farti identidem vice jusculi adhibe, non solùm arenularum asperitati obtundendæ, sed & partium rigiditati emolliendæ maximè accommodatum; oleosa, ubi tùm vomitu frequentiori, tùm doloris acerbitate partes crispatas convulsasque dignoveris, in usum ad uncias plures adhibè, utì oleum amygdalarum dulcium, & imprimis oleum lini per expressionem, quòd & minùs stomachum proritet, sed & maximè obliniat. Ab oleosis abstineas ventriculo nauseante, solisque tunc emollientibus insiste. Balneum tepidum admove, omnibus corporis partibus emolliendis atque relaxandis idoneum; tandem dolore perseverante, ad narcoticum confuge, seu emollienti decocto dilutum, & enematis formâ inditum, seu emollienti potione admixtum, seu in substantiâ voratum, quod non nisi priùs pluries ab enematis laxantibus expurgatâ alvo tentandum.

V.

PROPHYLACTICAS non minùs quàm Therapeuticas relaxantium vires plus æquo ratio probat, & confirmat experientia. Nephritidis paroxysmus, partium solidarum constrictionis effectus, nec solvi nec præcaveri tutiùs citiùsque valet quàm à medicamentis & victûs ratione, quæ solidorum flexilitati liquidorumque fluiditati restituendæ & servandæ fuerint accommodata. Non ideo mirum quòd rariùs mitiùsque eos invadat Nephritis, qui diutiùs in relaxantium usu perseverant. Uti inter relaxantia primum obtinet locum sanguinis missio, ab eâ instituatur prophylaxis, maximè ubi lumborum gravativus aderit dolor: largior sit, maximè jejuno ventriculo, aquæ tepidæ potus, qui innumeros penè recidivarum efficit immunes, nisi à frequentioribus & diuturnioribus antea paroxismis renum fuerit vitiata compages. Pro tam simplici, sed tanto remedio, Populi Sinenses, nunquam aut rariùs Nephritidis atque Lithiasis doloribus obnoxios vitam ducere, non sine fundamento gloriantur: Quid mirum? solidorum flexilitatem non modò servat aquæ tepidæ potus, sed & solvendo sales, molecularum præpedit concretionem Nephritidis nothæ sæpius causam. Non solum aqua tipida intùs sed & extùs admora partibus relaxandis confert, utì Balneum, in quod, jejuno stomacho identidem per plures dies, ad unam alteramve horam immergatur, jusculumque vitulinâ aut pulli-

nâ carne ſeminibuſque & plantis emollientibus confectum, poſtquam ſeſe lecto commiſit, ſumat ægrotans. Quæ ab arenulis oritur Nephritis non uno aquæ ſimplicis potu præcavetur; mucilagineum quid ſolidis obliniendis, anguliſque molecularum obtundendis aptum, uti ptiſannam ex ſemine lini, radice aut foliis altheæ, cæteriſque anodinis requirit, quorum non ſolum ex medicamentis, ſed & alimentis repetenda virtus. Hinc ab omni ciborum genere, aromatum ſaliumque exulanda acies, hinc exulandus etſi aquâ diluti vini potus, albi imprimis, Campanenſis maximè, quod pro tenuitate & ſalium aculeis ad Renes promiſcuè citiùſque aquoſum quicquid prorrudendo, varia ſanguinis inquinamenta rapit, in Renum tubulis brevi ſtagnatura. Ab hujus ſimiliſve vini potu Nephritidem recrudeſcere & exacerbari, non minùs ac in hominibus morbis articulorum obnoxiis, Arthritidem, quotidianâ conſtat experientiâ, quæ hos inter morbos ſic probat analogiam, ut qui Nephritide, ſic & eodem tempore nonnumquam Arthritide laborent, quorum affectuum & eadem curandi ac præcavendi ſeu ex alimentis ſeu ex medicamentis methodus & ratio. Quantùm igitur à rectâ medendi viâ aberrant qui tum in curandâ tum in præcavendâ Nephritide medicamenta ſpecificorum nomine adhibent, quorum tàm experientiâ quàm analyſi cognitæ vires, à ſalinis aut terrenis partibus natæ, ſtimulando vaſa, vel glandulas exprimendo, urinæ potiùs extorquendæ quam eliciendæ videntur inſtituta! hæc inter imprimis eminent fabarum clibano exſiccatus cortex & triduò, deficiente Luna, in vini albi cyatho epotus; Eryngii, Enulæ campanæ in vino aut aquâ vitæ cum ſaccharo & aromaticis infuſa radix: Ceraſorum nuclei contuſi & in vino macerati, aliaque id genus, in quibus, ut hactenus in pleriſque calculoſis obſervatum, nihil niſi Nephritidi revocandæ, & procreandæ Lithiaſi agnoſcitur idoneum. Nec fucum faciat inter millenos una aut altera Nephritidis curatio: nonnunquam vegeta ſuique juris, laceſcita quamvis, morbi criſin unà inchoat & abſolvit natura; verùm principia quibus talia Pharmaca præpollent ſine præjudicio & ad rationis & experientiæ ſtateram pondera. Hæc aculeis hirſuta aut terrenis rigida partibus agnoveris, quæ ſolidorum ſpaſmum & fluidorum ſyſtaſin inducere valent, unde Nephritidis cauſa & exacerbatio.

Ergo à ſolis relaxantibus Nephritidis tuta Curatio.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Ludovicus de Santeul.	*M. Michael - Ludovicus Vernage.*	*M. Joannes-Baptiſta Silva Salubris Conſilii Regii Socius, & Sereniſſimi Ducis Borbonii Medicus ordinarius.*
M. Emmanuel-Mauritius Duverney.	*M. Joannes - Franciſcus Leaulté, Chirurgiæ Gallicæ Profeſſor deſignatus.*	*M. Joannes-Baptiſta-Thomas Martinenq, Rei herbariæ Profeſſor deſignatus.*
M. Ludovicus - Claudius Bourdelin, Scholarum Profeſſor, & Regiæ Scientiarum Academiæ Socius.	*M. Jacobus - Antonius Millet, Pharmaciæ Profeſſor.*	*M. Franciſcus Pouſſe.*

Proponebat Pariſiis GASPAR COCHON DUPUY, Rupifortenſis, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1734. à ſextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1734.